



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. IV. Persecutores Ecclesiae & Sanctorum, peste diuinitus saepe sunt  
puniti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

partes in profanorum gubernatione tenent graue aliquod in Ecclesiam eiusque supremum in terris principem bellum mouere cœperunt, neque vexandi finem imposuerunt, subduxit se Deus quodammodo ex orbe terrarum, & quæ bona per Ecclesiam eiusq; Præsules ad nos solebat dimittere, ea ad se reuocat vel suis tantummodo largitur: hostibus verò non nisi plagas intendit, inter quas ordinariè & pestis. quod sequenti capite plenius & planius edocebo.

## CAP. IV.

*Persecutores Ecclesie & sanctorum, peste diuinitus sæpè sunt puniti.*

**I**Nter reliquas dignoscendæ veræ Ecclesiæ notas vna solet numerari, infelix exitus seu finis eorum qui Ecclesiam oppugnant. etsi enim Deus suos puniat & flagellet, tamen proiicit tandem virgam in ignem, neque vsque ad internecionem defæuit eius gladius. Testatur id diuersis in locis S. Scriptura ac nominatim Deuteronom. 32. *Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum,* excubat enim in eos iusta Dei vindicta, vt meritò sibi illud Ægyptiorum Hebræos insequentium vsurpare possint: *Fugiamus Israël, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Varijs quidem flagellis varios Deus puniuit, sed plurimos sæpè pestilentia & vorace contagione De Pharaone primo persecutore Ecclesiæ deque populo Ægyptio Hebræos in latere & luto opprimente præter alias plagas peste punito, iam suprâ abundè diximus. Ad Ecclesiam Noui Testamenti eiusq; tempora gradum sterno,  
de

de quibus ita vaticinatus eius caput & sponsus Christus: *Surget gens contra gentem & regnum aduersus regnum, & terre motus magni erunt per loca & pestilentie & fumes terroresque de celo & signa magna erunt. sed ante hæc omnia* (nota iam dictorum causam) *inycient vobis manus & persequentur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsidēs propter nomen meum;* ac si patenter diceret, Ideò prædicta mala vrbi superuenient, quia vobis omnes istas persecutiones intentabunt. Comprobat exitus oraculi veritatem; nam quoties primi illi Imperatores in vniuersam Ecclesiam Pontificemque Petri successorem se armarunt, protinus adfuerunt prædicta prodigia. Et ne quis fingere aut in confuso me incerta effutire existimet, rei veritatem exemplis ex authenticis Scriptoribus petitis comprobabo.

De signis  
Eecl. Dei.  
1, 24. c. 6.

Primus ex Imperatoribus Nero primùm, inquit Bozcius, in Pontificem Romanum atque Ecclesiam tempestatem commouit. hic postquam famosum illud Neronianum quinquennium, à quo procul distare cunctos Principes Traianus dicere solèbat, laudabiliter absoluisset veluti Imperij sui nouitiatu egregiè expleto, firmatus iam in regno, anno scilicet Imperij decimo, Romam iussit per quosdam à se submissos incendi; ex quo sic vrbs conflagrauit vt teste Tacito & Dione post euersam à Gallis urbem tantum calamitatis numquam acceptum sit: conuersus deinde Nero ad urbem instaurandam quo tanti criminis aboleretur infamia, nihil proficere potuit sed quotidie peius audire cœpit; cuius causam in Christianos rejicere est conatus. Odio erant tum Christiani multis eorum facta ignorantibus ob hæreticos simonianos aliosque flagitijs cunctis coopertos, qui cum communi nomine vocarentur, non distinguebantur à Catholicis. Durauitque id malum multis postea annis, ac potissimùm tempore impurissimorum Gnosticorum qui

Corn. Tacit.  
1, 13.  
& 15.

qui se nomine Christiano censentes, turpibus execrandisque facinoribus impollutæ Christianæ Religioni ignominiam irrogabant, suisque impurissimis obscenitatibus effecere ut genus, fides, nomen ipsum denique Christianum blasphemaretur inter gentes; adeo ut (secundum Domini futura predicentis sententiam) obsequium se Deo præstare existimarent, si Christianos ut nequissimum genus hominum internecioni traderent, invidiosumque nomen prorsus abolerent. ideo sic Tacitus: Abolendo rumori Nero subdidit reos & exquisitissimis poenis affecit quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellat. author nominis eius Christus qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat non modo per Iudæam originem eius mali, sed per urbem etiam quo cuncta undique pudenda & atrocia confluunt celebranturque. igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendij odio humani generis conuicti sunt, & pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergis contacti, laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammam, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis vrerentur. De quibus ita Rom. Martyrol. in die natali eorum: *Romæ commemoratio sanctorum martyrum qui sub Nerone Imp. de urbis incendio per calumniam accusati, diuerso mortis genere ab eodem iussi sunt seuisimè interfici: quorum alij ferarum tergis contacti, laniatibus canum expositi sunt; alij crucibus affixi, alijque incendio traditi, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deseruirent. Erant hi omnes Apostolorum discipuli & premitie Martyrum, quas Rom. Ecclesia fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisi ad Dominum 24. Iunij. Et verisimè Roma fertilis ager Martyrum ibi nominatur, utpote quam præter*

D tot

tot sanctos Pontifices, Virgines & Doctores, trecenta martyrum millia sanctificarunt, & etiamnum suis reliquijs sanctificant. vt meritò S. Catharina Senensis Romæ stationes obiens dixerit; Ego calco sanguinem Martyrum. quocirca Romæ viuere & mori voluit, sepulta in templo B. Virginis super Mineruam. ita Romanus inquilinus P. Corn. à Lap. in lsa. c. 26.

Tacit. sup Sed audi sequentem Deum vindicem. Eundem (eiusdem authoris verba sunt) tot facinoribus foedum etiam dij (gentilis gentili more loquitur) tempestatibus & morbis insigni vere, vastata Campania turbine ventorum qui villas, arbuſta, fruges passim disiecit, pertulitq; violentiam ad mœnia vrbis, in qua omne mortalium genus vis pestilentia depopulabatur, nulla cœli intemperie quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. non sexus, non ætas periculo vacua. seruitia perinde atque ingenua plebs raptim extingui, Equitum Senatorumq; interitus quamuis promiscui, minus flebiles erant. Ira illa Numinum in res Romanas fuit, quam non vt in cladibus exercituum aut captiuitate vrbiũ semel editam transire licet. Hucusque locutus Tacitus; cui Suetonius & ipse gentilis scriptor in vita Neronis adſentitur, dum ait: Accessit pestilentia vnus autumnus qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt. Erat Libitina (vt ad intellectum hoc obiter hîc dicam) Dea, in cuius æde quæ ad funus sepulturamq; pertinent vendere & locare consueuerant ex instituto Numæ Pompilij, ideoq; pro morte vsurpari solet, vocaturq; à Græcis Epitymbia quasi præses tumbæ, dictiq; Libitinarij quicumq; funeri inferuiebant quos Vlpianus institores vocat. Cæterum qui horum omnium causa fuerat pessimus Nero, immunis diuinæ vindictæ non remansit: siquidem eo ipso an-

no quo Petrum cruce, Paulum gladio interimi iusserat, vrbe profugus & ab omnibus desertus indignus cuius sanguine se aliena manus foedaret, in spelunca quasi fera delitescens mortem sibi consciuit. Sic pereant inimici tui Domine, sic pereant.

Anno Christi interempti 81. ipsius Vespasiani Imp. vltimo tanta lues vrbem Romanam inuasit vt hominum decem millia quandoque in dies singulos absumerentur, Eusebio teste. Verum quidem est hunc Imperatorem vt & filium eius Titum non permisisse vt de crimine impietatis cognosceretur: sed & certissimum, inconsultis sæpè Imperatoribus occisos Christianos ex Edictis superiorum Imperatorum non abrogatis, constatque ipsis imperantibus Apollinarem Episcopum Rauennæ, Leontiumque Hypatium & Theodolum ac Linum Pontificem Romanum Christianitatis titulo necatos esse. Sed & mortem seruatorum suorum in conspectu suo pretiosam vltus est Deus. quippe præter grauissimas & solo auditu horribiles plagas à Deo immissas ( diuinas enim potius quàm humanas dicendas esse ipse Dion confitetur) quibus similes paucas recorderis ab orbe condito ad nostra tempora, excepto diluuiò, contigisse, post Vesuij montis incendium morbus pestilens & grauis vrbi cælitùs immissus est.

Martyrol.  
Adonis.

Bozjus  
suprà.

Qualis fuerit orbis Romani status qui ad rem nostram pertineat imperante Traiano, sic describit in Epitome sua Victor: Eo tempore multo perniciosius quàm sub Nerua Tyberis inundauit, magna clades ædium, & terræ motus grauis per prouincias multas, atroxque pestilentia famelique & incendia facta sunt. At obijciet aliquis: Etiàmne Traianus & sub ipso Romani ob persecutio- nem in Christianos puniti? laudatissimus ille principum & æquissimus plurimorum testimonio habetur, rescri-

D 2 psitque

psitque Plinio Secundo in Christianos nullatenus esse inquirendum.

Ergone laudatissimus & æquissimus Traianus, & in Christianos? Eius tempore occisi Euaristus & Alexander Papæ cum Euentio & Theodoro Diaconis, Quirinus, Balbina, Sulpitius, Seruilianus, Phocas Ponti & Simeon consobrinus Saluatoris centum viginti annorum senex, Hierosolymæ Episcopi, Hermes vrbi præfectus, Zeno vir nobilis, Eustachius, Iustus, Parmenas vnus de septem primis Diaconis, Pastor & complures alij. cum enim ex litteris Plinij Secundi accepisset Christianorum genus adeò inualuisse sicque illorum numerum auctum vt idolorum templa deserta desolataque remanerent, & nedum in ciuitatibus sed & in vicis & agris sacra Deorum essent intermissa & rarissimus victimarum emptor inueniretur; vt collabenti idolorum cultui consuleret, dijs quibus acceptum imperium ferebat, rependere volens gratias, Christianos vt impios Deorumque contemptores è medio tollendos esse edixit, & quo magis erga Deos pius & Reipub. studiosus; eo amplius in Christianos seuerus videri cupiebat. Sed explorata demum per eundem Præsidentem eorum innocentia non vltra inquirendos, sed oblatos tantum puniendos esse rescripsit. de cuius adeò iniqua sententia, inquit Tertull. in apologetico: O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos vt innocentes: mandat puniri vt nocentes. parcit & læuit: dissimulat & animaduertit. Sed quonam pacto, rogat Baron. prædicant Traianum æquissimum & laudatissimum omnium principem, qui erga seipsum impurissimus ac ob eam causam etiam iniquissimus fuit? id quidem iidem scriptores ethnici qui eum laudibus tollunt, scriptis testatum reddunt, adeò vt ex eorum censura non tantum ex optimorum albo eum expungendum esse

Martyrol.  
23. Ianua-  
rij.

esse, sed nec boni viri laudem mereri, immò inter turpes esse numerandum quisque æquo iure censeret. Dio enim & Cassianus grauissimi Scriptores quod verum est dissimulantes, eundem adedò impurū fuisse tradunt, vt etiam in senectute in masculos insanisse testentur. Iam ergo tam abductum in præceps hominem, datum in reprobum sensum, in ignominiam passionum, quis miretur Christianis fuisse aduersum? hominem certè indignissimum quem ab inferis eductum precibus S. Gregorij Papæ quidam scribant. quam opinionem fusiùs in *Annal. Eccles.* confutat & friuolas astruentium rationes, firmiter historiæ veritate refellit expertissimus talium Card. Baron. Traianum secutus est Hadrianus Afer filius eius adoptiuus, sub quo occisi Christiani Getulius & Symphorosa præter alios innumeros qui Antinoum puerum Hadriani olim delicias colere recusabant, fueruntque, teste Spartiano, eius temporibus fames, pestilentia & terræmotus, quæ omnia quantum potuit (nota Lector) procurauit. Certè Seuerus persecutionem quar- Hist. l. 24  
tam ordine ponit quæ ab eodem Imperatore est concitata. & quamuis erga omnes Romano Imperio subiectos benignum se præbuerit, tamen in Christianos exhibuit se Phalaridem. nam Eustachium (qui ante baptismum Placidus & in bello Iudaico sub Vespasiano & Tito præfectus equitum egregiam nauauit operam, quemque constat postea in bello Dacico sub Traiano Ducem exercitus egisse) quem à Christi instituto diuellere non poterat vnà cum vxore ac duobus filijs æquè Christianis, leonibus tradi iussit & ab ijs intactos in bouem æneum candentem includi. Vetuit nihilominus sub vitæ finem Christianos amplius affligi, vt refert Eusebius & Iustinus in Apologia, scribitque Lam-

pridius in vita eiusdem, fuisse ei in animo templum Christi dicare. Tandem & ipse miserrimè ob plurimorum innocentium Christianorum cædem sæpiùs perpetratam, expiravit, aut potius sibi mortem consciuit. Antonini Imperio, inquit Bozius suprà, sub annum centesimum trigessimum nonum per omnia loca fames, pestes, terræmotus, incendium, Tyberis inundatio, vsque ad annum centesimum sexagesimum secundum, eoque fuere terræmotus, inundatio, locustæ agris infestæ, pestis vsque ad annum centesimum atque octuagesimum primum. ita ille. Passi sunt sub hoc Imperat. inter alios S. Sixtus Papa, quique ei successit ex anachoreta Telesphorus, Alexander Episcopus, Pontianus & alij plures in Italia & Gallia alijsque locis quorum iniuriâ temporum & incendio scripturarum, memoria perijt. Porro sanctorum suorum vindex Deus, inquit Baron. haud alia de causa his diebus tum ipsam urbem Romam, tum alias imperij provincias supradictis cladibus afflictauit, quàm vt manifestis declararet signis, esse gentilibus diuinum numen infensum: easque non solum populis terrorem incussisse, sed & ipsum pariter Imperatorem commouisse, vt eodem tempore Edictum promulgauerit de cohibenda Christianorum persecutione. Nullum quidem teste Tertull. ab Antonino Imperatore aduersus Christianos reperitur Edictum; tamen vel inuidia Magistratuum qui Christianam religionem iam tum longè lateque toto orbe terrarum etiam apud ignotas Romanis nationes propagatam videbant & inuidebant, vel calumnijs aduersariorum nonnihil vexatos fuisse constat, idque tum cædes Sixti & aliorum, tum quæ de his habent authores huius temporis, fidem certam faciunt. potuitque occasionem dedisse Edictum eiusdem Imp. de prohibita sub pœna mortis Sibyllinorum carminum & aliorum gentilium

va-

vatum ac prophetarum lectione, quod intellexisset eorundem librorum occasione in quibus multa de Christo prædicta essent, complures relicta patria superstitione ad religionem Christianam confluere. de quo quidem Edicto non nisi instinctu hostis generis humani promulgato, graviter Iustinus martyr apud eundem Imp. conquestus est.

Defuncto Antonino Pio, pari Imperio succedere Marcus Antoninus Philosophus & Lucius Verus Antoninus, Diui fratres appellati, eò quòd ambo fuissent ab Antonino Pio adoptati, cuius & prænomen vsurparunt; neq; illi soli sed ab illis ad Maximum vsque reliqui omnes Imperatores eo vsi reperiuntur tamquam omnibus Augustis debito, habebatque Seuerus Imperator in animo (quod tradit Spartianus) vt omnes deinceps Imperatores sicuti Augusti ita & Antonini dicerentur, credo ob virtutum memoriam boni Imperatoris. Porro grauis sub hisce Imperatoribus persecutio in Christianos & publica in eosdem decreta inquisitio fuit. Quæ verò clades diuinitus immissæ fuerint, scribit Victor his verbis: Ab armis quies numquam erat perque omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella feruebant, terremotus non sine interitu ciuitatum, inundationes fluuiorum, lues crebræ, locustarum species agris infestæ prorsus, vt propè nihil quo summis angoribus adteri mortales solent, dici seu cogitari queat quod non illo (Lucio scilicet) imperante sæuierit, huc vsque Victor, traditq; Euseb. in annalibus, hanc pestem per omnes prouincias peruagatam anno Imperij octauo qui secutus est Edicta in Christianos publicata. De eadem pestilentia hæc Capitolinus: Tanta pestilentia fuit vt vehiculis cadauera sint exportata carrucisq; & rursus: Multa quidem millia pestilentia consumpsit multosque ex proceribus. Dura-

Apol. ad  
Anton.

uit

Vide Dio-  
nem, Iusti-  
num,  
Orosium  
aliosque.

uit vt idem scribit vsque ad obitum Marci, qui defuncto Lucio fratre, æquissimus postea Christianis fuit ob beneficium miraculosum sibi & integro exercitui ipsius à Legionem fulminatrice Christiana præstitum, cuius precibus insignem illam de Marcomannis consecutus est victoriam, hostibus grandine, igne, fulmine consumptis, vetuitque deinceps neminem eò quòd Christianus esset in iudicium vocari, eorumque vt talium, accusatores, viuos exuri.

anno 182.

in Martyr.  
18. April.

Secutus est patrem in Imperio & in mansuetudine erga Christianos filius Commodus quem ultorem sanguinis Christiani vocat Baron. cum enim esset omnibus sceleribus coinquinatus ac veluti immane quoddam monstrum ab irato numine ob vindictam Christiani sanguinis diuinitus immisum, in Senatores, Magistratus & populos de iisdem Christianis pessimè meritos crudelissimè sæuiebat, nullum interim his faceffens negotium, intercessione vt putatur Marcie concubinæ eius Christianorum studiosissimæ. fuere tamen sub ipso multi pro fide occisi, atque inter reliquos Apollonius Senator, cum cæteris litteris, tum Philosophiæ scientiâ celeberrimus, cuius operâ, inquit Baron. nisi inuidia nominis Christiani pertinacibus studijs restitisset, omnis Senatus in Christum credere potuisset; qui à seruo proprio accusatus coram Perennio Præfecto (nam Imperator Commodus necis eius innocens fuit, vtpote cuius sententiâ seruus nebulo delator Apollonij crurifragio interemptus fuit) quòd Christianus esset, iussus vt rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit quod in Senatu legit, & nihilominus sententiâ Senatus pro Christo capite truncatus est. Sed audi quibus cladibus mox Deus nobilissimi Senatoris vindicauerit necem. Per id tempus tanta pestilentia fuit, ( Dionis verba sunt ) quantam nunquam

quam fuisse cognoui : nam moriebantur vno die sæpe-  
 numerò ad duo millia hominum : multi non solum in  
 vrbe, sed etiam fere sub omni Rom. Imperio necaban-  
 tur à maleficis hominibus (instrument<sup>a</sup> hi erant diuine  
 vindictæ) quod acus oblitus venenis quibusdam pretio  
 atque mercede adducti in alios conijcerent : ob eamque  
 causam innumerabiles homines interibant. Sed non his  
 contenta vindex Dei manus. nam percussum est fulmi-  
 ne Capitolium, magnoque aucto incendio, concrema-  
 ta est bibliotheca & propinquæ ædes exustæ. addit He-  
 rodianus, ex leui terræmotu, vomente terrâ ignem, sub-  
 itò Pacis templum conflagrasse ac Palatium igne con-  
 sumptum. vt vel hinc fabulam esse discas & doceas de  
 Pacis templo Romæ collapsò ea nocte qua natus est  
 Christus quòd prædictum fuisset illud duraturum donec  
 virgo pareret. quæ quomodo erroris arguantur ex eo  
 certò constat quod omnes antiqui Historici tradant do-  
 mitis Iudæis à Vespasiano Imp. illud prius fuisse extru-  
 ctum. Dedit autem, vt inquit Lampridius, Christiano-  
 rum hostis Perennius præfectus debitas pœnas. nam  
 cùm exercitui redditus esset infensus, datus est militi-  
 bus lacerandus. Sic pereant inimici tui Domine, sic  
 pereant.

Euseb. in  
Chron.Baron.  
anno 1.  
Christi.

Cùm Decius Christianorum ex proposito hostis in-  
 fensissimus (nam vt hos persequi posset Philippos Impe-  
 ratores occiderat inquit Orosius) Imperium assumpsif-  
 set, feralia Edicta mox euulgauit in quibus terribilissima  
 iam propemodum compleretur sententia, nimirum ele-  
 ctos si possibile esset in errorem inducendos fore. nam  
 tormenta tunc illata fuere Cypriano teste, sine fine tor-  
 toris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis, quæque  
 ad coronam non facile dimitterent, sed tam diu torque-  
 rent quamdiu deficerent, aitque hæc Christianos pati  
 meruisse,

l. 7. c. 22.

Epist. 8.

E

meruisse,

In lib. de  
Lapis.

meruisse, quod traditam diuinitus disciplinam Ecclesiasticam pax longa corrupisset, essentque admodum deprauati tam populorum quam Episcoporum mores, iaceretque fides & quasi dormiret, atque ideò opus fuisse ut erigeretur eiusmodi cælesti censurâ. atque utinam & eadem non fuissent nobis hæreseôn & tumultuum Belgicorum causæ. At licet crudelissimo hoc Imp. ceu instrumento iræ suæ Deus uti voluerit, non tamen ideò ipse immunis à peccato nec à castigatione liber extitit, quia licet esset virga & flagellum Dei, tamen castigationem Christianorum quam Deus iustè intendebat, ipse tyrannicè executus est, nec Deo sed propriæ crudelitati & odio seruiebat. Ut verum hic sit illud Isaiæ: Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum & contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia & diripiat prædam & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur & cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius & ad interuersionem gentium non paucarum, &c. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem & subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis. ita planè & Decio euenit. ait enim Orosius: Exoritur ultio violati nominis Christiani, & vsque adeò ad profligandas Ecclesias Edicta Dei cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur. nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit quæ non illâ generali pestilentia correpta atque vastata fuit. Ipse denique vlciscente numine reus innocenter effusi Christiani sanguinis meritas dedit pœnas dum in bello salutem equo captans, in profundam paludem incidit à qua confestim absorptus nusquam deinde visus fuit.

capit. 10.

l. 7. c. 21.

Porro



diem populos à sua quemque fede abrupto impetu rapiens. sed de ea deque sedulo S. Cypriani tunc officio non solum fidelibus sed etiam gentilibus impenso, plura ex occasione inferius.

Quid Gallieni magni itidem Christianorum tyranni tempore acciderit, audiamus Trebellium, cuius hæc sunt verba, sicque hoc caput concludamus, Auditum tonitru terra mugiente, non Ioue tonante, quo motu multæ fabricæ deuoratae sunt cum suis habitatoribus, multi terrore mortui, &c. & subiicit: Pax igitur à Deo quæsitâ inspectis Sibyllæ libris, factumque Ioui salutare ut præceptum fuerat sacrificium. nam & pestilentia tanta extiterat vel Romæ vel in Achaicis vrbibus, ut vno die quinque millia hominum pari malo perirent. sæuiente fortuna, cum hinc terræmotus, inde hiatus soli ex diuersis partibus, pestilentia orbem Romanum vastaret. ita Trebellius de Gallieni anno 2. Occisus & ipse cum Valeriano fratre Mediolani quo ad opprimendum Aureolum qui eas oras occupauerat, contenderat. Illo sublato electus est à militibus & à Senatu approbatus Flavius Claudius, qui in Christianos infensissimus multos tum milites prætorianos tum alterius generis ciues Romanos Christianæ religionis professores, ac Cyrillam filiam Tryphonix Decij Imperatoris siue coniugis siue concubinæ, Deo dicatam virginem, necari iussit, addito insuper Edicto ut omnes Christiani qui in carcere tenebantur vel foris inuenirentur, absque interrogatione punirentur. Sed crudelis carnifex Deo iustitiam agente, pestiferâ lue è viuis sublatus est. Sic vlciscitur sanguinem feruorum suorum Deus & in hostes eorum retribuit.

Vide Bar.  
anno 269.  
270, 271.